

1172 ferunt Emanuele in divinorum carminum libellum incidisse: quem quum forte evolveret, exhorruit vehementer fatidicum carmen, quo significabatur, fore quandoque, ut ex Hadria venirent, qui Byzantium occuparent. Prætereo reliqua, quæ omnia, quum obscuris verborum involucris operta jacerent, conjectoribus divinationumque peritis hominibus adhibitis, inter omnes constitit, eos Venetos esse, Hadriatici sinus accolas; quod ipse quoque per se conjectando jam antea propemodum affecutus fuerat: ac inde odium illud Emanuelis in Venetos originem habuisse ferunt: qui brevi fore ratus, ut illorum armis Byzantium premeretur, quod sane non multo post accidit, insidiis (quando aperta vi non poterat) Venetum imperium perdere aggressus est. Nec contentus adhuc iis, quæ ad eam diem in Venetos molitus fuerat, Anconitanos ab illorum societate alienavit: qui aliquandiu mare infestum civitati reddidere. Sed Ariminensibus in socios acceptis, Veneti locorum vicinitate usi, ita illis mare clausere, ut parum melior esset eorum conditio, quam qui obsidione premuntur, esse soleat. Pecuniam ex depositis conflata (quia ea temporum novitate exhaustum erat ærarium) publico decreto placuit, in Divi Marci sacrarium ad opportunos casus reponi, ac tam diu sub publica custodia servari, quoad Respublica in meliorem esset statum restituta. Hodie vulgo *præstita* appellari audio, quæ Michaelæ Principe instituta traduntur: unde ingentem illi ortam invidiam, primariamque cædis causam quidam crediderunt. Multis legationibus citro ultroque missis, de pace cum Imperatore per hæc quoque tempora nonnihil actum reperio.

Quam ob
causam Ve-
netos ran-
topere ode-
rit.

Quando
primum pe-
cuniæ a pri-
vatis sine
mutui no-
mine in pu-
blicum col-
lata.

1176

Erantque in hoc statu res Venetæ: quum, ne quandoque a magnarum rerum cursu civitas quiesceret, Alexandri tertii Romani Pontificis casus inclytæ victoriæ præbuit materiam: ad quam describendam accessissem ego omnino cunctantius, quando a quibusdam nostri sæculi scriptoribus videam rem ipsam non adeo vulgatam, nisi Venetorum annalium, qui omnes hoc habent, domesticorum ad hæc externorumque scriptorum consensus admonuisset, oportere

nos